QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 15. Februarij.

M. PETRO PAULO GUYART. DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An si materia non turgeat, incuntibus morbis purgandum?

I.

MORBI tempus cognoscendum Medico ad prognosim & curationem. Illud modo sumitur pro morbi spatio & curriculo, modo pro auxilij opportunitate & præcipiti occasione, demum pro ætate vel parte morbi, quæ successionis vicissitudine mutatur, sicque quadruplex statuitur, principium, augmentum, status, declinatio. Lethalis morbus statim ac adoritur, & invalescit, vel ubi viget perimit. Qui in incremento vel statu judicari, vel in principio, aut augmento profligari videtur, declinatione non caret, nec quæ ad summum protinus vigorem ascendere putatur Apoplexia fortis quæ cum ἀπνοίᾳ, & otis Spuma, principio & augmento, nec illis & declinatione σύνοχος, quamvis id non adeo sensibus pateat, Quatuor illa tempora vel universalia sunt quibus totus morbi decursus includitur, vel particularia, quæ in quibusque morbi accessionibus notantur. Singula morbi & Symptomatum natura, vel materiæ alteratio discriminat. Ratione morbi principium est, cum nundum vires exerit, nec urgent admodum Symptomata, latiùs patet quam ἐπισημασία; momentum illud quo quis laborare cœpit, non decumbendi necessitate, sed manifesta actionis læsione designandum, ad dierum computationem. Augmentum est cum morbus & Symptomata ingravescunt. Status seu vigor cum morbus consistit, summaque sunt omnia. Declinatio cum primum decrescere incipit donec desierit. Ratione materiæ principium est cum ea cruda est, nec ulla apparent coctionis argumenta, in urinis, si causa in venis, in alui excrementis, si in partibus in coctionem incumbentibus, in sputis, si in pulmone & thorace: Diuturnum id in Chronicis, seu quartanis, quotidianis, & hemitritæis. Augmentum cum obscura apparent coctionis indicia, præter paroxysmorum accelerationem, longitudinem, & vehementiam. Status cum natura coquendis humoribus allaborat. Declinatio cum materia cocta est, & à natura subacta: tutissima morbi pars & ad salutem via, in qua pulsus evadit vehementior, magis æqualis, & ordinatus. Sic vera distinguitur à ficta quæ accidit naturâ penè evictâ nec amplius morbidæ vi reluctante: Ut cum nativus calor resolvitur, aut tenuior materiæ portio digeritur crassamento superstite; cum materia partem affectam deserit, mox Metastasim factura, aut rectrix corporis facultas, unà cum morbo Cadmeâ pugna collabitur; cum natura post extremos conatus recreari videtur, quemadmodum candela ante extinctionem magis explendescit, aut morbo materiæ capaci succedit alter ejus expers, ut Peripneumoniæ Phtisis. Interdum elapso statu novus morbus obrepit, ut Dysenteria, maximeque Peripneumonia Exanthematis fœliciter suppuratis: sic qui ab Ectymatis pereunt ferè pus habent in pulmone. Particularia tempota spectantur in morbis, qui per circuitus periodosve se efferunt, ita ut periodus contineat universum temporis spatium, quod inter illam & alteram παροξυσμοῦ εἰσβολὴν seu exsuscitationem intercedit. Periodi duæ sunt partes, tam in

continuis quibuſdam quam in intermittentibus morbis. In continuis periodum complent, Paroxyſmus vulgo exacerbatio, deterius tempus totius circuitus, & remiſſio particularis quædam motbi, & ſymptomatum imminutio, ſeu molliſſimum tempus. In Intermittentibus duæ illæ partes dicuntur acceſſio & intermiſſio. Acceſſio quæ etiam Paroxyſmus vocatur, eſt totum illud tempus quo morbus affligit, ob expeditam cauſæ motionem, idque ſub incremento ἀνωμαλίαν habet. Intermiſſio quæ etiam intervallum & ἀπυρεξία dicitur, male integritas, quando morbida vis non diffundit explicatque ſeſe ob materiæ craſſitudinem, quæ quadamtenus liqueſcere debet, ut cor attingat. Sic pus in cyſti membraneove locello, vel loculamento concluſum, ἐκλύσει, vomitione, & animi defectione, ſeſe non prodit donec erumpat, aut tandem partem contagione vitiet, infectoque cerebro in repentinum & inexpugnabilem Lethargum compellat: Igitur materiæ craſſities & loci denſitas Medicum fallunt, ſic ut moriatur aliquis de quo ſecurus primo fuit. Demum forma illa atque ordo qui per acceſſiones & intermiſſiones notatur, & per quem morbi genus diſcernitur Typus appellatur, qui ſibi conſtat vel variat dum morbus pari intercapedine vel feſtinantius aut ſerius infeſtat.

II.

CRUDA ſunt propriè quæ putreſcunt, ſeu quorum coagmentatio diſſoluitur alieno calore humidũ à ſicco dirimente; adeo putredo opponitur miſtioni, in qua nativus calor humidum cum ſicco copulat: In putredine ea fit elementorum alteratio, qua elementa diſiunguntur, mixtumque deſtruitur, in miſtione qua ea compinguntur, mixtumque formatur. Putredo & corruptio non ſunt idem; illa mixto tantum, hæc ſimplici & mixto corpori competit: cum mixtum corrumpitur, elementorum alteratione nova fit mixtio, quæ priorem mixti formam excludit, novamque admittit; adeo unius corruptio eſt alterius generatio; cum mixtum putreſcit, miſtio diſſoluitur, miſtumque perit, nec aliud fit. Putredo & corruptio terminum aſſecutæ, ſimul non ſtant, alias ſimul ſunt, cum illa per crebram corruptionem, hæc per inchoatam putredinem ad illum perveniat. Nam in corruptione nova fit mixtio cum elementorum, aut ſaltem alicujus particulæ cum ſuis qualitatibus recedunt, quarum reſolutio putredinem inchoat, in putredine calor extraneus humidum ſenſim digerendo, aliam atque aliam craſim & formam inducit: imo in viventibus deſinit in κρᾶμα quoddam aquæ & terræ, quale videre eſt in pure quod igne & aëre, ſeu ſpiritu defectum aquæ injectum ſubſidet, ob terram cineraceum eſt, & ob ejus diſſociationem agitatione quaſi pulverulentum cernitur. Igitur parvi intereſt in viventibus an putredo deſiniatur corruptio caloris nativi in humido à calore ambientis, aut mutatio totius ſubſtantiæ ad corruptelam à calore extraneo. Corporis noſtri partes jamjam putreſcentes refrigerari, humectari, & quadamtenus redintegrari poſſunt beneficio nutritionis; putridi vero humores ad ingenium non redeunt, ſed ſolum per coctionem in his putredo ſiſtitur, ſic ut calor extraneus, neque in ipſis, neque in aliis, humidum à ſicco amplius diſgreget. Coctio illa putridi excrementi πεπασμὸς dicitur, alimenti vero πέψις; hæc novam temperiem, & formam largitur, & ad generationem pertinet, illa novam craſim præſtat ſine formæ mutatione & ad alterationem refertur: hæc ſolius naturæ eſt opus, illa naturæ & artis. Ambæ calorem contemperant, prior ciborum fugâ, frigidæ avido hauſtu, evacuatione calidorum humorum per hæmorrhagiam, vomitum, perrhirræam, alui profluvium, ſudores; poſterior potiſſimum accommodato potu, iuſculis, Phlebotomiâ, & Enematis, quibus alterius difficiles irritos & noxios conatus antevertit. Etiam ambæ ſeſe accingunt ad noxij humoris excretionem; prior ſecernit, & quibus poteſt modis vias aperit: Poſterior, prædicta uſurpat, quibus & reſerat corpus, & fluidos humores reddit, vapidos nempe refrigerat & cogit, craſſos humectat & diluit, lentos & viſcidos abſtergit & incidit. Adeo poſt modum natura per ſectam criſim molitur, vel ſi nequicquam aut perfunctoriè agit, ars ipſam congruentibus Pharmacis tempeſtivè datis ad officium compellit.

III.

NATURA ineuntibus morbis nihil putridi humoris excernit niſi quia immiſcetur alteri aut motum ſequitur alterius copiâ vel qualitate moleſti, cujus evacuatione nititur ad refrigerium, & meatuum patefactionem, & quem ſola ſine noxia prioris agitatione, ἄνω vel κάτω excludere poteſt. Si initio quid χείπωον apparet, id à peſtifero luxuriantis, furentis, & præſentem mortem intentantis humoris Orgaſmo. Belle ergo Pharmacia procedit, cum pellente natura, & medicamento trahente, coctus humor excernitur. Coctioni prævia putredinem & febrim auget, nihil ex inflammata parte detrahit, aut ſaltem vix quidquam putridi humoris educit, quem natura retinet, ut coquat, & ab utilium mole ſecernat, quæ ſana ſunt & reſiſtere morbo poſſunt, contabefacit, vires frangit, unde morbus ſupe-

tior evadit, & nisi occidat in longum tempus protrahitur. Nihilominus ante Pepasmum tempestiva turgentis solum materiæ purgatio, eaque mochlico, seu vecte quadam excutienda, cujus motio sine exitu periculosissima. In levioribus morbis satius primo levare ægrum, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusâ, fortasse præcipitare, numquam tamen torquere eum, quem possis semel malo redimere, cum & crebrâ purgatione assuescar non ali corpus ob idque infirmum sit; sed extremis e quorum numero sunt qui turgentem materiam habent extrema remedia debentur: & quamvis multum & de repente vacuare periculosum, ubi tamen expedit ad animi defectionem usque ducere, faciendum sane modo æger par esse possit. Non potest vehementi malo, nisi æque vehemens auxilium succurrere. Ubi præsentanea pernicies, nisi anceps remedium juverit, id cum quadam temeritate rapiendum; multa in præcipiti periculo fiunt, alias omittenda. Illud Jatricum Numen, de quo dictum, nec fallere, nec falli potuisse, in Pleuritide infera, cujus nota ad claviculam nulla peplium & Elleborum exhibet ne turgens materia exitio sit, qui alias e latere affecto κατ' ἴξιν sanguinem demit, ad coloris mutationem, vel ad Lipothymiam. Verum ante turgentis humoris Pharmaciam, vomitu, ineunte paroxysmo, deiectione, ipso inclinantes cessurâ, si quæ est in abdomine διάθεσις φλεγμονώδης, ea copiosa venæ sectione lenienda, statim in valde acutis in quibus materia maxime mobilis ipsâ die amolienda, Quin etiam vt Histrionis est, rem parvam attollere, quo plus præstitisse videatur, sic prudentis est hominis, eum qui servari non potest, non attingere, ne videatur occidisse quem sors ipsius peremit, neve infamet præsidia apud vulgus, quæ multis fuere saluti: Vbi vero gravis metus sine certa tamen desperatione est, nunciare necessariis, periclitantis in difficili rem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel fefellisse, vel ignorasse videatur. Sed sciendum in acutis, fallaces esse notas salutis & mortis.

IV.

ΟΡΓΑΝ propriè ad animalia spectat, quæ libidinis æstro percita, loco stare nesciunt, catuliunt, subant, incitanturque ad seminis excretionem. Ab iis translatum est ad alia, quæ ardenti quasi appetitu feruntur, seu impetu erumpendi, aut aliquid extrudendi. Sic Turgens terra dicitur, quæ semina poscit, iisque mandatis & gremio exceptis, germinat, parturit, promitque herbescentem viriditatem, sese in flores, frondes, & fructus resoluit, & ubique lasciviens, spectabilia signa dat amœnissimæ fœcunditatis: Sic etiam dicuntur, turgentes in palmite gemmæ quæ trudi incipiunt, turgentia lumina lachrymarum imbrem sparsura; turgentes mammæ, quæ exeruntur aspirantque ad cupidinis blandimentum; turgens pus quod abcessuro osse luxuriat, & quasi tumens diffunditur, cum horridula commotiuncula; & quod ad rem maximè pertinet, turgentes humores dicuntur, qui non reguntur à natura, sed excusso iugo, effrænate cientur, & de loco ad locum transfluunt, doloremque & titillationem afferendo, hominem quiescere non sinunt. Tunc fit similis animantium concitatæ ad seminis emissionem libidini, naturæ impetus, ad excretionem exultantium humorum, quos retinere nequit, sed cui vix ac ne vix unquam fortuna obsecundabit, nisi occurrat eximiùs occasionis captator, qui seditiosos & desultorios humores, quos diceres movere libitinam, majoris famæ pharmaco ad exitum deducat. Ὀργασμὸς seu violenta mobilitas humorum, non nisi ab effusa putredine, seu nescio quâ populatrice, bituminеâ forsan, & quasi fulmineâ flammâ, quam urna cicutæ non extinxerit; Raro accidit in acutis morbis, rarius in Chronicis, quorum ineunte paraxysmo Metastasim facit. Ex acutis insolenti humorum ferocitate, & quadam, ut ita dicam petulantiâ, luctuosæ sunt febres pestilentes: purpuratæ & petechiales dictæ, quæ pulicum morsiunculis assimilibus maculis, & interdum quadam rubedinis specie, maxime per dorsum extentâ, cutem inficiunt, & aliæ febres malignæ; præsertim duplices tertianæ, initio leves nec vehementes, nisi continua Cephalalgia adsit, mox comitatæ symptomatis, à vulgari putredine, & febrium conditione, alienis, puta crebrâ Eclysi, Alismo, Ephidrosi, cruentâ, στάξει, Patphrenitidis & Cari participe Typhomaniâ, brachiorum, manuum & totius vultus, motibus σπασμοτρόμοις, qui ab affectis viscerum membranis, ut in vomituris labri inferiotis, σείσμος, ab affecto ventriculo, Ischuriâ, vago musculorum dolore, & in morituris, nescio quâ feraci querelâ, & vera elegiâ, quasi natnra efferatorum humorum mortiferam vim, ictumve defunctorium sentiens, de certo interitu gemeret. In nuper aperto corpore, febre purpurata exanimato, apparuere cum insigni intestinorum fœtore, ventriculus male olenti sanie infectus, hepar rubore exutum, Lien violaceus, nigricans pulmo, & utrumque viscus cruento tabo manans, incorrupto cerebro. Iis in morbis in quibus putredo sic invalnit, ut nisi putridi humores ex ignobili conceptaculo, mox erupturi in partem aliquam, cujus officio vita carere nequit, avertantur, qui coctionem expectat, iners est & male feriatus; qui Eccoproticis copiosè exhibitis pronam, & præcipitem alvum

reddere parat, id præstat infausto exitu, cum putridi humores Enematis, venæ sectione, & potatione, non deferbuerint, nec imbelli Erethismo resupinatus ventriculus, alienatam humorum turbam, in Hepate vel Liene tumultuantem, concutiat, quam revolutus attrahat, subsultansque evomat, deturbetque una cum humoribus, in Pancreate vel Mesenterio fero cientibus; nec Peristalticus intestinorum motus, rapidior factus, istarum sedium ejectamenta, submoveat, exorbeat, atque extrudat: sed qui exæstuantem rejectaneorum colluviem, ex quacumque sentina, Mochlico potenter revellit & exigit, Herculis instar monstrorum domitor est.

V

NULLA in Medicina Arabia fœlix, quæ circa simplicia medicamenta misere hallucinatur, eaque monstrosè miscet, & quod horrendum, immaturâ Catharsi enecat. An potior habenda fides Arabi, qui Pharmacum fere semper ad manum habet, quam Asclepiadi, qui alvum non toties, sed ferè tamen in omni morbo subducit, victumque pluris faciens, febre infestante vires convellit, luce, vigiliâ, siti ingenti, sic ut ne os quidem elui sinat; ubi vero primis diebus Tortoris vicem exhibuit, ulterioribus cubantis luxuriæ subscribit, cibumque indulget. En Hæmophobus Erasistratus, qui commendat inediam, cujus ope aliquando, morbi periculosi, fœlicem admirabilemque exitum inveniunt, idque multo mitius, quam dum corpus medicamentis lacessitur. En Alij Græcorum Archiatri, qui Phlebotomiam extollunt, quæ expedite refrigerat, pro arbitrio evacuat, revellit, deriuat, eamque seu ἡγεμόνικον præsidium, adhibent in magnis inflammationibus, acutissimis doloribus, & febribus ardentibus, ad Lipothymiam; in tabe interdum, donec exangue corpus reddatur; in luculentis plagis, sic ne accidant inflammatio & in hepate abcessus; uno verbo quoties morbi magnitudo, & virium robur occurrunt; adeo nullum penè morbum esse in quo non mittatur sanguis, novum non est; sed qui sanguinē per libras detrahunt pueris & senibus interdicunt. Qui febris initio cum urinæ crassæ sunt, & nebulosæ, purgat, συνόχου coctam materiam vacuat in declinatione, quam cum principio confundit, à quo minimum distat; isdēq; in febre ardente lac asininum coctum, seu in serum redactū exhibet, ore amarescente post Pepasmum; & ventre murmurante, die quinto purgat in Orgasmo: οὐ γὰρ ἐκλέλοιπε ὠμὸν τὸ πάθος. ἢν γάρ τι κίνησις κατὰ κοιλίην τὸ τέρθρον οὐ πεπαίνεται ἀλλ' ἀνίδρως τε καὶ ἄκριτος ὁ πυρετὸς ἐπὶ πολλὴν χρόνον ἔσται. Qui vero morborum initio Phlebotomiâ, & nonnumquam purgatione utitur, ab ea expectat, ut minorem redditam materiam natura facilius coquat, quam ab hac raro turgentis humoris luculentâ evacuatione majus emolumentum sperat, quam sit detrimentum, quod ex Catharticis, corpus necessario capit. ἔστι δὲ ἡ ὠφέλεια μείζων ἐὰν ἀλύπως τε καὶ πᾶς ὁ βλάπτων καὶ λυπῶν ἐκκενῶται χυμός. Frustra Arabs clamitat, vel extra orgasmum protinus purgandum esse, quia cathartica quædam per se, aut per accidens frigida, quia dempto excremento cui adhæret, febrilis calor desinit, nec cocta materia Pharmaco eget, cujus redundantiæ abstinentia succurrit. Nescit ille omnnia cathartica corpus vehementer movendo, frangere, esseque ἐναντία, καὶ ὡς αὐτοὶ εἶποι τις ὀλέθριά τε καὶ δηλητήρια, febrisque materiam coctionis patientem, Pharmaciâ adjutrice non educi, nisi ab utilium mole secretam, caloris temperatione, eamque ni vacuetur recidivum morbum facere, vel hydropem, vel in aliqua parte maximeque in articulis abcessum. Ineuntibus morbis, si materia turget, & vires ferunt, pervio corpore reddito, in rem est eam movere extremo remedio; vigentibus vero si Orgasmus abest, vel crisis instat, melius quiescere. Sic completur illud, ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν. Nec aliter agendum in Chronicis. Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδ' ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ· τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Ergo si materia non turgeat, ineuntibus morbis non purgandum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Afforty.	*M. Petrus Daquin Medicus Regis ordinarius.*	*M. Claudius de Frades.*
M. Nicolaus de Iouvancy.	*M. Ioannes Cordelle.*	*M. Ægidius le Bel, seren. Duc. Aurelianensis Medic. primar.*
M. Germanus Preaux.	*M. Petrus Ozon.*	*M. Abrahamus Thevart.*

Proponebat Lutetiæ JOANNES CLAUDIUS DELARBRE, Socius Laudunæus A. R. S. H. MDCLXXX.

PARISIIS
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.